...uth Wiśniowiecki.

electus Rex Poloniae

Varsav. Collegii Schol. c. Piar. Panegyricus Augustissimo Principi Michaeli Korybuth, divinitus electo Regi Poloniae.

PANEGYRICVS

AVGVSTISSIMO PRINCIPI
MICHAELI KORYBVTH
Diuinitùs Electo
REGI POLONIÆ,
Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensciæ, Czerniechouiæque
MAGNO DVCI,
debitæ subiectionis & obseruantiæ causa
A REGIO Collegio Varsauiensi
Clericorum Pauperum Matris DEI Scholarum Piarum
CONSECRATVS.
Anno Domini M DC. LXIX.

VARSAVIÆ,
TYPIS ELERTIANIS S. R. M. Typogr.

Aquilæ maximus honos. Plinius.



Semper honora fuit LECHIS *Jouis armiger* ALES,
Omnibus & Regnis semper honora fuit.
Ornarũnt illam postquam KORYBUTHIA SIGNA;
Ex his est AQVILÆ MAXIMVS *ortus* HONOS.

FLORIANUS STANISLAUS KIERDEY Marschalcides:
Grodneñ Studiosus Poëseos.

DE

DEDICATIO.

REX, in æternum Viue. Neque enim TIBI mortalem Vitam optare fas est, quem cupimus omnes immortalem: tùm quòd incolumi TE nos incolumes, felici felices fore semper non dubitemus; tùm quòd sis immortali vitâ dignissimus, qui Numinis immortalis vices apud Nos geris Diuinitùs ad id Nobis concessus. REGVM enim potestas in terris post DEVM summa & maximũ cultum & maximũ amorem sibi vendicat à subditis; qui Votorum magnitudine rectè circumscribitur. His onustæ accedunt MAIESTATEM TVAM Scholæ Piæ Varsauienses, ab Inuictissimo Antecessore TVO VLADISLAO IV. hoc in Regnum Augustissimum introductæ, & in hac Regiâ Ciuitate liberalissimâ fundatione cumulatæ; à Potentissimo verò IOANNE CASIMIRO singulariter protectæ atque defensæ, & amatæ; à tota hac Orthodoxa Republica pientissimo sinu exceptæ, & clarissimis beneuolentiæ

 testi-

testimoniis plurimùm ornatæ: itaque & huic, & Regibus Serenissimis, non modò qui præcessere, sed secuturis etiam obligatissimæ. TVÆ verò MAIESTATI sic deuinctæ ac mancipatæ, vt sibi nihil antiquiùs ducant, quàm pro immortali Vita MAIESTATIS TVÆ Diuinam Maiestatem feruentissimè, idque perpetuò deprecari. Aspice quoque TV AVGVSTISSIME PRINCEPS, Scholas Pias, sub labaro Diuinæ MATRIS in Regno TVO militantes, vultu Regio, propitio & clemētissimo; & quantùm illæ se TVÆ MAIESTATI debere fatentur obsequii, & amoris, tantum M. T. illis non deneget fauoris & patrocinii. Sub quo se perpetuò securissimas fore cōfidentes & ornatissimas, perpetuò se & omnia sua M. T. deuouent, & consecrant, vtique perpetuò.

MAIESTATI TVÆ

Subiectissimæ
Scholæ Piæ Varsauienses.

REX
DIVINITVS ELECTVS.

COnscius mihi sum AVGVSTISSIME PRINCEPS, & ingenij minùs fæcundi, & oris infacundi, & quæ in quouis Oratore ornat vtrumq; nullius authoritatis. Nam ingenium cæteris ingenijs collatum prorsus erit meum sterile; os asperum, & nullis melleæ dictionis condimentis delibutum; authoritatem denique in vmbra Palestræ quam potui mihi comparare? Videbor itaque temerario ausu in TVVM Sacratissimum conspectum prodire, & ea, quæ maximis doctissimisq; Viris maximum negotiū facessere possunt, attentans vel arroganter desipere, vel non sapienter ad ludibrium properare Sed hoc totum peccatum TVÆ erit Humanitatis, & Clemētiæ; qui cùm à TVO mansuetissimo vultu excludis neminem, imò diuinâ illâ suauitate ac serenitate vniuersos prouocas, me quoq; è tenebris in solem elicuisti, & ad Maiestatis TVÆ fulgorem irretortis oculis contuendum penitùs attraxisti. In communi igitur ORBIS POLONI lætitia, tàm insolenti tamq; inauditâ, vt, ex quo Diuinum PIASTI Caput ad regimen Gentis ante gentes vniuersas liberrimæ assūptum fuit, parem in vllius Principis nominatione POLONIA non viderit: in festiua propè centum millium lectissimorum Virorum, qui auspicatissimæ

TVI Electioni interfuere suffragatores, acclamatione, quis non gestiat animo? quis deuoto pectore non conclamet? VIVAT REX! VIVAT Serenissimus PRINCEPS MICHAEL KORYBVTH DVX VISNIOVIECIVS! ante Orbem conditũ POLONO Diademati destinatus, prius in Cœlis, quàm in terris Electus, priùs Diuinâ, quàm humanâ mente præconceptus, priùs cœlestibus ostentis quàm linguâ mortali inauguratus, PIASTEÆ atq; JAGELLONICÆ Stirpis instaurator, Veræ & Orthodoxæ Religionis propugnator, Libertatis assertor, Patriæ Conseruator; Iustitiæ, pacis, omnigenæ felicitatis, ac melleorum sæculorũ Institutor, Amor suorum, Terror hostium, Cœlo carus, terris acceptus, Inuictus, Felix, Potens, Beatus futurus. Hæc non solùm ominari de TE Avgvstissime PRINCEPS, sed dubio procul audeo polliceri; cùm TE Diuinitùs Nobis Regem esse concessum procertò agnosco, & (quò certior Optimi maximique Numinis auxiliorum, cuius nutu Supremum inclytissimæ, fortissimæ, Catholicissimæ Nationis solium conscendisti, sis, atq; constantissimum TVI apud TVOS amorem retineas) hoc ipsum veniâ TVâ clarissimis argumentis demonstrabo. Faue conatui meo Diuinâ TVA humanitate, quâ solâ fretus Orbis Tribunal non vereor subire, à pluribus forsitan, quàm TV sis electus, an de TE rectà veraq; pronunciem, iudicandus. Pàr mihi tecũ hac in causa (si pateris) fortuna est. Ad TVI famam HONORIS,) vt minimè dubitandum sit, Mundus obstupescet; mea pariter audacia illum rapiet in admirationem: nisi potiùs id Numini, non audaciæ, sit attribuendum, quòd opus Diuinum Diuino concitatus afflatu aggrediar celebrare.

Non enim TE Augustissime PRINCEPS, prouisi atque procurati ELECTORES (vt plurimis accidisse traditum est) Nobis REGEM statuerunt; non capulum gladij comminantis militis manu percusũ, cum dicto, Hic Faciet, quod Augusto Consulatum pepererat, pro TE, suffragia à libero Populo extorsit; nihil ambitionis, curæ, prensationis in TE quisquã aduertit; non petens, imò ne cogitans quidem, electus es; prius TE, REGEM POLONIA salutauit, quàm Competitorem; imò, quia TE Competitorẽ habere non potuit, REGEM fecit. Diuina id vis occulta egit, cuius proprium est latitantes in solem educere, fugientes honoris apprehendere, & in apricũ productos ornare. Ita quondam Saulus quærens asinas sceptrum inuenit: Dauides euocatus à grege in Regem Diuini populi vnctus est; minimus é fratribus corporis staturâ, maximus dignitate, quàm Dei suffragio promeruit. Adhuc TVA diuinior est Electio, illi sine certamine Æmulorum Regijs Diadematibus donati sunt; TV duobus Orbis Europæi summis Principibvs es antepositus. O arcanũ cœleste inauditum! Candidatus non eras, REX es; quod si alicubi Candidatis eras adnumeratus, maior Dei eluxit in TE Virtus, cum factus es ex Novissimo Primvs. I, fama, peruade Terras: diuulga hoc ipsis Antipodis MIRACVLVM, cui simile visum non est. Viuente Principe, quem sola mors de solio erat tractura, Comitia Polonis necessariò fuerunt indicenda, vt substituerent legitimum Successorem liberis pro more & iure suffragijs, illi, qui tantum ciuiliter mortuus erat. Accendit aurea Libertas, vt ad eius Thronum concurrerent, duos Serenissimos Dynastas; alterum cõmendatione omnium ferè Europæ Principum insignem, alterum propriâ Virtute commendatissimum. Cogita, quanti, quàm sublimes Heroes erant, quibus accedere tertius Competitor non audebat! Itur ad suffragia, nominantur;

 sed

ſed non eliguntur. Dum votorum rota volueretur; erupit ex ea PIASTVS; non ab humano crediderim pectore emiſsâ voce dignisſimus ſceptro proclamatus, & tandem REX acclamatus. Miraculum dixi? tria fuerunt. REX ante fata mortuus; Candidati atris calculis (etſi non Populi Virtutem eorum amantis & venerantis cœli tamen calculis) excluſi, electus non Candidatus. Vide, quantum Cœlo Tibi fidendum ſit, AUGUSTISSIME PRINCEPS, tàm fauenti, & applaudenti TVIS Virtutibus; quas cùm haberet notiſſimas, ipſum promouit eas in ſummi HONORIS faſtigium, & Regiâ dignitate decorauit. Auſim propè iurare, TE nihil vnquam de Regno TIBI obueniendo cogitaſſe, cùm intra TE ſolùm REX eſſe amares, & velles, auidum domãdo Spiritum. Et en DEUS TE primò Candidatum TVIS POLONIS POLONVM PROPOSVIT; deinde ſic eorum in TE vnũ Vota direxit, vt inter centũ propè millia ELECTORVM, nè vnus quidem tùm fuerit repertus, qui TIBI non acclamaſſet: VIVAT! VIVAT. Sereniſſimus Princeps Viſnioviecius! regnet poſteris, beet Rempublicam tranquillitate, quâ animum gerit iam beatum; VIVAT, imperet, diutiſſimè, feliciſſimè! Quid agitis? POLONI mei. Itanè rurſus amantes eſtis Veſtri ſanguinis, vt eum ſceptro admouere contendatis vniuerſi? iamnè vobis æqualitatis ratio mẽte excidit? iamnè metu occupandæ à Propinquis & Agnatis Regijs Aulæ pœnè ſoluti eſtis? Itanè vos AVREVS ille CALAMVS infaſcinnauit? qui nuper in Regis Indigenæ laudes amoroſè grauiterque ſimul excurrrens. *Piaſtum ego* (ſcribebat) *non amo duntaxat, ſed pereo; blandiente ipſo nominis omine, Piaſtunum, ſeu geſtatorem; qui concuſsam & vacillantem hanc Patriam, bonam Matrem, ſinu & vlnis velut geſtet.* Sed nullus vobis ab eo metus, quem ſacer hic Calamus commendauit. Nec vos egiſtis, quidquid egiſtis, DEVS EGIT. Eum vos Ducem hac in ELECTIONE ſecuti eſtis, cuius vocis oraculum legiſtis per Moſen promulgatum: *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qui non ſit frater tuus.* DEVS Vobis hanc mentem indidit, quâ nihil ab illo ſalutarius hac tempeſtate Vobis dari potuit, vt in eius PRINCIPIS ELECTIONEM omnibus ſuffragijs conflueretis, qui eſt caro de carne veſtra, os de oſſibus veſtris. Audiui ego frequentiſſimas Magnorum Virorum voces; tot miracula diuino nutu in POLONA Republica patrari, quot in ea leges, ac ſancita conſentientibus abſque vllius refragatione Ordinibus, conduntur, & promulgantur. Neq; id quiſpiam negare poterit, modò conſideret ſtudioſiſſimè, vetandi & intercedendi poteſtatem æqualem eſſe in libera hac nobiliſſimaq; Gente cuiuis; neq; rationibus a ſententia ſua, quibus quiſq; pro ſe copioſiſſimè abundat, ſed magis Diuino nutu quemque deduci. Hoc olim & ille Romanorum Oratorum & Senatorum Princeps Tullius in ſua Repub. expendens cogebatur exclamare: *Quod fretum? quem Euryppum, tot motus, tamq; varias habere creditis agitationes, commutationes, fluctus: quãtas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio Comitiorum?* Quãobrem vidimus illa nuper apud nos aliquoties non ſine magno Patriæ incommodo (niſi DEUS ex malis bona eliceret) interrupta, atque ob diſſenſiones CIVIUM irrita. Nunc itaque quid habemus dicendum, cùm TE, AUGUSTISSIME PRINCEPS, tàm frequentibus Comitijs, qualia nuſquam ante fuiſſe credendum eſt, centenis propè ſuffragiorum millibus, Electum REGEM ſalutamus? Non eſt hic aliud, niſi virtus ex alto, quæ amore Tui ſic inflammauit pectora liberrimorum CIVIUM, vt, cùm vel omnes vnà, vel multi eorum regnare poſſent, TE vnicum è medio ſui REGEM ſtatuere maluerint. TIBI vni

C de-

creuerunt HONOREM, quo quisque iure æqualitatis dignum se poterat iudicare. Macte hac TVORVM POLONORVM erga TE beneuolentiâ Diuinitùs comparata, qualem nec dùm Sol Orbe toto spectauit, in vnum hominem à tanto populorũ numero congestam, atque coaceruatam. A Regibus REX constitutus es, Regibus imperaturus. A DEO dixisse debui, qui cùm omnes alios, tùm TE præcipuè voluntate suâ Genti liberrimæ PRINCIPEM destinauit, perfecit & præfecit. Age DEO grates, Gentem, quæ TE maximè adamauit, redama; totum TE eius commodis, iucolumitati, ornamentisq; impende.

Venio ad reliqua, quæ TVI ELECTIONEM Diuinitùs factam esse Nobis comprobarunt. Cùm enim de TE mentio facta esset in campo, repentè examen Apum ELECTORIBVS apparuit, seq; non visendum modò præbuit, sed etiam subiecto pileo insidens colligendum, atq; circumferendum. Non sum vanus Haruspex, Dei sum Sacerdos; at cùm didici Diuinam in AMBROSIO facundiam per apes, quæ eius infantis ori consedisse visæ fuerunt denotatam fuisse, bonum omen TVI Electionis cæpi, eam cælitùs ordinatam, & TE fore sine aculeo REGEM, qualem amant apes; castum, quales ipsæ sunt virgineæ volucres; imò omnes earum virtutes moribus & actionibus Regijs expressurum. Cùm autem & alterum ostentum expendo, magis ac magis in mea sententia confirmor. Nam factâ acclamatione TVO Nomini ab vniuersis iam Regio Titulo coruscanti, ecce tibi candidissima volucris, qualem se Ioannes vidisse super REGEM REGVM Christum testatus est, tecta illa Senatorij Tabernaculi circumuolitans, vt olim VRBANI Pontificis Maximi, ita nunc TVI ELECTIONEM à Diuino SPIRITV processisse confirmauit. Sanè cælo datum PRINCIPEM habes, POLONIA; in quem non Tua tantùm Vota, sed etiam cælestia OSTENTA conspirarunt. TV, vt eum legeres, vniuersa in campum vnum confluxisti immemorabili exemplo, & (si benè rerum in Orbe gestarum memini) nullis sæculis nullibi obseruato. DEVS, vt adspiraret TVIS Votis, tantæ Congregationi Populorum vnum Spiritum infudit adeò efficacitèr, vt omnes in vnum PRINCIPEM VISNIOVIECIVM coirent. Negasset hoc aliquis, nisi cælestis SPIRITVS seipsum in specie columbæ niueæ, vti solet, plurimis spectandum obtulisset. Cõiicio, PRINCEPS AVGVSTISSIME, summo conatu, studio, labore, vigilantiâ, zelo, DIVINVM HONOREM in Regno TIBI, concesso à TE, promouendum, Orthodoxam Religionem custodiendam, & ornandam, libertatem Ecclesiasticam attollendam & propagandam, Sanctissimam Sedem Apostolicam honorandam atq; colendam, Summum Christi in Terris Vicarium amandum; quandoquidem TVO HONORI excellentiæ, sublimitati sic DEVS Optim: Maximusq; fauit, vt non occulta solùm virtute, sed etiam manifestâ eius declaratione, TIBI militauerit.

Verùm nè quis arbitretur eorum, qui magnifica omnia expetunt, & laudant sola, errasse POLONIAM in arte ciuili dùm Diuinis instinctibus rapta REGEM TE sibi constituit: sciat Orbis, AVGVSTISSIME PRINCEPS, & TVI authorem sanguinis esse Iouem, DIVVMQ; GENVS KORYBVTHIORVM DVCVM ex PIASTEO atq; IAGELLONICO semine constare. Qui nolit assertioni nudæ fidem habere, excutiat Annales Polonos, Lithuanosq; & in rei præsentis notitiam facile delabetur: cui ego dilatandæ insudare ex proposito nec

to nec debeo, nec volo. Tota mea cura est, ostendere, TE ex cælo nobis Principem datum esse. Cur ita? Dicam quod sentio liberé sine adulatione, apud Regem liberi Populi; in virtutis Maiorum TVORVM atq; TVÆ, præmium. Quantùm enim de Ecclesia DEI quantùm de ipso DEO meruit, ille Diuinus Heros, PARENS TVVS Excellentissimus? qui totam vim rebellium DEO ac Regno schismaticorum suis humeris vnus ac solus multò tempore sustinuit; qui orbam PRINCIPE Patriam ab eiusdem colluuiei crudelitate defendit, eamq; tamdiu, nè in Regni viscera perrumperet, cohibuit, donec Respublica post luctuosissima victoriosissimi PRINCIPIS fata respirasset; qui noluit priùs expirare cælestem animam, quam hydram illam Schismaticam insigni clade vidisset confectam, stipatoresq; eius Tauricanos dracones dissipatos. Pro quibus maximis in DEVM ac Rempub. meritis, cùm præmii nihil ob temporum calamitatem retulisset, in TE non sanguine tantùm sed etiam virtute suum FILIVM illud voluit deriuari. Itaq; DEI solio assistens TE pro se, quod iustitia Diuina volebat, Regiâ Dignitate ornari persuasit magnis meritis per orantibus. Adiunxerunt vota sua magni ZAMOSCII Sacratissimum germen, vterq; pietate ac Religione clarus, vterq; titulo defensoris Patriæ Ecclesiæq; insignis, Aui, Proauiq; TVI Accessit Heroinæ MATRIS probata DEO viduitas, fortis, constans, sancta, tamq; celebris, vt non sit (loquor modò cum sacra pagina) qui de ea loquatur verbum malum. Quæ si potuit in Juditha Holofernem prosternere, hanc non potuit REGE FILIO beare?

Quid ego memorem, duo fulmina belli, Castorem atq; Pollucem, nostros Excellentissimos Tyndaridas, FRATRES TVOS? quorum virtus orbi cæloq; nota multùm TVO HONORI lucis attulit, multùm pro TE apud Superos institit. Nam si Phinees zelo suo genti suæ summum sacerdotium à DEO obtinuit; hi Diuini cultûs ardentissimi propugnatores, & propagatores TVÆ Dignitati apud DEVM non adstipulati sunt? Quid dicam amplius? in ipsis fasciis videris mihi REX esse Diuinitùs constitutus. MICHAELIS Cæleste Nomen, hoc portendebat. Impleuit significationem eius ELECTIO TVI præter omnium expectationem confecta: circa quam, cùm Diuina operatio consideraretur, ex illo ipso hæ Populi exclamationes consurgebant: QVIS VT DEVS? qui infirma eligit vt fortia confundat? Imperatoris ergo cælestis militiæ Nomen iam tùm Poloniæ TE aliquando imperaturum promittebat, cùm TIBI non sine DEI prouidentia imponeretur. At verò illi, à quibus institutus es, nihil TIBI nisi Diuinum instillarunt, nihil nisi Regium. Sperabant enim futurum TE aliquando eum, qui nunc es; itaq; eâ Sanctimoniâ, eâ Sapientiâ, quæ liberorum Populorum rectoribus competit, imbuerunt. Comparasti cætera multorum Regnorum peragrationibus, studiis Iuuentæ laudatissimis, exercitijs militaribus REGE ANTECESSORE TVO Magistro; eum ad bellum Moschouiticum secutus, quem paulò post ad solium eras subsecuturus. Omnia hæc Diuina sapientia disponebat, agebat, tacitéq; ad hunc scopum, quem attigisti, dirigebat. De virtutibus præterea TVIS quid edisseram? Mauis, TV, illas exercere, quam laudari. Tàm verò cognitæ sunt Orbi Polono, vt eas externorum PRINCIPVM, tametsi maximis ac summopere commendatis, nullo modò duxerit esse postponendas. Vicisti (sine inuidia & contemptu dicere liceat) dotibus animi, quos Suffragijs supera-

sti,

sti. Hoc illi sunt professi, qui TE digniorē, quàm aliū, sceptro censuerūt, etsi in exploranda virtute solertissimi Platones, Catones rigidissimi in iudicāda. Placuit illis TVA prudentia, fortitudo, iustitia, temperantia; placuit comitas, affabilitas, liberalitas, mansuetudo, præcipua ornamenta regnantium; placuit amor Patriæ, Libertatis cura, Senatûs reuerentia, Equestris Ordinis obseruantia; in amicitijs fidelitas, in clientelis constantia, promptitudo in beneficijs, in iniuriis obliuio, studium recti, honesti tenacitas, monitorum facilis admissio, ozorum circumspecta dissimulatio, æquissima compensatio benè meritorum. Placuit illis PARENS, bellator Maximus, amor Legionum, Principum Sol, Heroum iubar, Senatûs illustre Decus, Nobilitatis splendor, Reipub. fulcrum firmissimum, PATER PATRIÆ ac SERVATOR. Placuit MATER Heroicis virtutibus non minùs quā sacratissimis Maioribus & sanctissimo Coniuge Illustrissima; quæ Olympiadis peruersitate non laborat, Mammeæ auaritiam odit, Agrippinæ ambitionem detestatur. Placuerunt cognati FRATRES quibus cura est maxima boni publici, fraudis immune pectus, candoris plenum; fortunæ, vita, sanguis, Patriæ consecrata. Placuit cum Illustrissimis Familiis propinquitas atq; coniunctio, cum illis inquam Familiis, quæ hoc Regnum augustissimum Heroicis facinoribus, solidissimis virtutibus, maximè illustrarunt, & impendio omnium bonorum & honorum, & quæ his carior est, vitæ suæ Polonam Libertatem propugnarunt. Hæc lumina, quæ sparsim in TVIS, in TE collecta, Augustissimo Senatui, fortissimoque Equestri Ordini placuerunt adeò, vt TIBI Sceptrū detulerint eâ mente, quòd TE Cœlo REGEM sibi designatum esse ex ijsdem luculentissimè cognouerint. Ita sane est. Siue enim TVAS TVORVMq; Maiorum

rum Virtutes expendo, siue TVÆ Iuuentutis exercitia atque institutionem ipsam ob oculos pono, siue stemmatis vetustissimi claritatem conspicio, siue causam, modum, tempus, instrumēta, ELECTIONIS TVI in trutinam accipio; non possum aliter sentire, non dicere aliter, quàm TIBI Diadema Regni Poloni cœlitùs ab æterno promissum esse, TEque Diuino consilio atq; nutu liberrimæ gentis REGEM ab eadē ipsamet liberrimis & concordibus suffragijs procreatum. Quare fruere iucundissimè tàm præstanti, excellenti atque euidenti DEI munere; gratus esto CIVIVM tanti amoris tantæque beneuolentiæ: & quoties TE REGEM esse cogitabis, toties, quo pacto beneficentissimo Numini hunc fauorem compenses, & fauentissimæ TIBI Reip. hoc beneficium rependas, cogitabis. Et DEVM quidem solido cultu iustitiæ, pariter atq; clementiæ, eiusq; Honoris propagatione, Religionis incrementis, defensione & reuerentiâ Cleri, aliisq; Christiano-Regiæ pietatis actionibus TIBI plurimùm deuincies; Rem verò publicam legum obseruantiâ, pactorum custodiâ, pacis procuratione, hostium profligatione, oppressorum eleuatione, ditionum recuperatione, & conseruatione, luxûs extirpatione, frugalitatis pristinæ reductione, bonorum promotione, malorum castigatione, virtutum insitione, eradicatione vitiorum, vehementissimè recreabis. Fac DEVS æterne, qui huic Nostro AVGVSTISSIMO PRINCIPI ipse Regium diadema destinasti, Ciuium incredibilem amorem comparasti, vniuersi populi studia immensa excitasti, vtriusq; sacratissimi ordinis suffragia contulisti; fac optime maximeq; PATER, vt sub hoc PRINCIPE POLONO POLONIA reflorescat, distractæ voluntates coeant, animi offensi concilientur, Orthodoxa sacra extinctâ hæresi triumphent, Maiestas Legum

splen-

ſplēdeat, amor boni publici in omniū pectoribus ardeat, agri deuaſtati repullulent, oppida diruta reſurgant, Vrbes deſertæ impleantur, beata ſæcula veniant, & ſolida Virtus omnium pectora poſsideat, & conſecret. Ipſe verò Auguſtiſsimus Princeps à TE nobis miſſus commendatus, impoſitus diuturnâ incolumitate, tranquillâ felicitate, conſtantiſsimo ſubditorum amore, fideliſsimâ vicinorum amicitiâ, continuaq; Numinis TVI tutellâ perfruatur, & ſerò à nobis ad Diuorum REGVM MAIORVMQ; Suorum immortale Domicilium transferatur.

D I X I.

V O T V M

Ad Sereniſsimam Virginem

M A R I A M

R E G I N A M P O L O N I Æ

Pro Sacra Regia Maieſtate.

VIRGO, Poloni quæ magis expetis,
Regina campi, quàm rutilantium
Regni Planetarum vocari,
Sarmaticæ pia cura Gentis.
Si TE benignam Noſter, adhuc puer,
PRINCEPS Patronam legit, & inclitū
Nomen perennibus Tuorum
Inſeruit tabulis Clientum;
Si TE ſtupendo tota POLONIA
Cultu celebrat, ſi TIBI Sabbatha
Siccis in eſcis tranſiguntur,
Si placitæ reſonant Coronæ,
Si ſacra paſſim ritè Roſaria
Canuntur hymnis mixta perennibus;
Si templa toto ſparſa Regno
Nulla Tvo caruêre vultu:
Aſsiſte Noſtro proxima PRINCIPI,
Scutóq; magnæ protege dexteræ
Meritemq; Regiumq; corpus,
Magnanimos ſtimulâs ad auſus.
Hoc Rege nobis mellea ſæcula,
Vnâq; deduc aurea ſæcula;
Noſtrumq; ceu TVVM guberna
PRINCIPE cum MICHAELE Regnū.